

*AENEID* IV.1-59

At rēgīna gravī jamdūdum saucia cūrā

vulnus alit vēnīs et caecō carpitur ignī.

multa virī virtūs animō multusque recursat

gentis honōs; haerent īnfīxī pectore vultūs

verbaque nec placidam membrīs dat cūra quiētem. 5

postera Phoebēā lūstrābat lampade terrās

ūmentemque Aurōra polō dīmōverat umbram,

cum sīc ūnanimam adloquitur male sāna sorōrem:

'Anna soror, quae mē suspēnsam īnsomnia terrent!

quis novus hic nostrīs successit sēdibus hospes, 10

quem sēsē ōre ferēns, quam fortī pectore et armīs!

crēdō equidem, nec vāna fidēs, genus esse deōrum.

dēgenerēs animōs timor arguit. heu, quibus ille

jactātus fātīs! quae bella exhausta canēbat!

sī mihi nōn animō fīxum immōtumque sedēret 15

nē cui mē vinclō vellem sociāre jugālī,

postquam prīmus amor dēceptam morte fefellit;

sī nōn pertaesum thalamī taedaeque fuisset,

huic ūnī forsān potuī succumbere culpae.

Anna (fatēbor enim) miserī post fāta Sychaeī 20

conjugis et sparsōs frāternā caede penātīs

sōlus hic īnflexit sēnsūs animumque labantem

impulit. agnōscō veteris vestīgia flammae.

sed mihi vel tellūs optem prius īma dēhīscat

vel pater omnipotēns adigat mē fulmine ad umbrās, 25

pallentīs umbrās Erebo noctemque profundam,

ante, pudor, quam tē violō aut tua jūra resolvō.

ille meōs, prīmus quī mē sibi jūnxit, amōrēs

abstulit; ille habeat sēcum servetque sepulcrō.'

sīc effāta sinum lacrimīs implēvit obortīs. 30

Anna refert: 'ō lūce magis dīlēcta sorōrī,

sōlāne perpetuā maerēns carpēre juventā

nec dulcīs nātōs Veneris nec praemia nōris?

id cinerem aut mānīs crēdis cūrāre sepultōs?

ēsto: aegram nūllī quondam flexēre marītī, 35

nōn Libyae, nōn ante Tȳrō; dēspectus Iarbās

ductōrēsque aliī, quōs Āfrica terra triumphīs

dīves alit: placitōne etiam pugnābis amōrī?

nec venit in mentem quōrum cōnsēderis arvīs?

hinc Gaetūlae urbēs, genus īnsuperābile bellō, 40

et Numidae īnfrēnī cingunt et inhospita Syrtis;

hinc dēserta sitī regiō lātēque furentēs

Barcaeī. quid bella Tȳrō surgentia dīcam

germānīque minās?

dīs equidem auspiciis reor et Jūnōne secundā 45

hunc cursum Īliacās ventō tenuisse carīnās.

quam tū urbem, soror, hanc cernēs, quae surgere rēgna

conjugiō tālī! Teucrum comitantibus armīs

Pūnica sē quantīs attollet glōria rēbus!

tū modo posce deōs veniam, sacrīsque litātīs 50

indulgē hospitiō causāsque innecte morandī,

dum pelagō dēsaevit hiems et aquōsus Ōrīōn,

quassātaeque ratēs, dum nōn tractābile caelum.'

Hīs dictīs impēnsō animum flammāvit amōre

spemque dedit dubiae mentī solvitque pudōrem.

55

prīncipiō dēlūbra adeunt pācemque per ārās

exquīrunt; mactant lēctās dē mōre bidentīs

lēgiferae Cererī Phoebōque patrīque Lyaeō,

Jūnōnī ante omnīs, cui vincla jugālia cūrae.